De

consecandis membrorum sive artuum nervis,

supplementum parvum

ad

hanc operationem tractandam,

dissertatio inauguralis

ad

summos in medicina chirurgia et arte obstetricia honores adipiscendos

auctore

H. P. D. Reichenbach,
medico practico et chirurgo.

De consecandis membrorum sive artuum nervis,

supplementum parvum

ad

hanc operationem tractandam,

dissertatio inauguralis

ad

summos in medicina chirurgia et arte obstetricia honores adipiscendos

auctore

H. P. D. Reichenbach,

medico practico et chirurgo.

Altonae,

Apud Georgium Blatt.

MDCCCXLV.

Typis Hammerichi et Lesseri.

Dissectio nervorum in doloribus continuis et vehementibus aegroti est operatio, quae tam commendata quam repudiata est et cujus historia etiam ut aliae argumentum praestat contradictione veritatem exstingui non posse.

Galenus, vir illustris, qui anno *CXXXI* post Christum natum Pergami natus, nervis diligentissime explorandis sicut anatomiae studio universalis adductus est nervos in duros, molles mediosque — qui neque duri nec molles essent — dividere; imo jam suo tempore atque longe ante Harvey — ut Hecker dissertatione [a]) probare studuit — circulationem sanguinis cognovit *) et — ut vir egregius

---

a) Der Kreislauf des Blutes vor Harvey. Berlin 1831.

*) *Nota.* Secundum historiam medicinae *Rohatzschii*, volumen I, pagina XX, circulatio sanguinis jam in antiquissimis temporibus Chinensibus cognita fuit; etiam **Andreas Caesalpinus Italicus** jam in decimo sexto saeculo eam cognosse dicitur, vide pag. CCCXI. Tamen

Status e Consiliariis, medicinae et chirurgiae doctor A. C. P. Callisen, Professor in academia chirurgica Hafniensi ordinis dannebrogici eques etc. etc. praeceptor dilectissimus in docta translatione systematis chirurgiae auctore **H. Callisen** b) secundum citationem tractationis **Monfalconis** c) scripsit — in inflammationibus periculosis dissectionem nervorum commendavit. Nervorum dissectio primum a **Maréschal** — chirurgo **Ludovici XIV.** — in multis casibus, quos **André** descripsit, suscepta est d); sed sine eventu; quae inefficacia secundum **Callisen** fortasse inde orta est quod solum una punctura secun-

---

illustri **Harvey** — ut **Rohatzsch** recte notat — honor certae firmiterque perductae detectionis et accuratae descriptionis circulationis debetur sicut ejus sectatoribus et defensoribus — in quibus imprimis **Werner Rolfinck, Roger Drake et Joannes Walaeus** gloriam sibi comparaverunt — honor introductionis hujus doctrinae.

b) System der neueren Chirurgie zum öffentlichen und Privatgebrauche von A. C. P. Callisen. Copenhagen 1822. Band 1. Seite 416.

c) *Monfalcon* dans la dictionaire des sciences medicales. T. 35. p. 549.

d) Vide *Callisen* loco laudato. — Romberg im 28. Bande des encyclopädischen Wörterbuches der medicinischen Wissenschaften 1842. Seite 187.

dum cursum nervorum facta est. Nervorum quinti paris dissectio a **Louis** facta controversiam vehementem inter medicos et chirurgos Parisiis et editionem dissertationis inauguralis excitavit e) in qua post dissectionem nervi infraorbitalis in tribus casibus sine utilitate continua haec operatio rejicienda declarabatur. Scripta chirurgiae serius edita probant, nulla hujus contradictionis ratione habita eam ab **Abernethy, Bellingeri, Burns, H. Callisen, Clephane, A. Cooper, Crampton, Delpech, Earle, Haighton, Klein, Larrey, Leydig, Lizars, Malagodi, Moll, Mott, Murray, Paletta, Sabatier, Swan, Warren, Wilson, van Wy** et multis aliis cum majore vel minore eventu susceptam esse; nihilosecius nonnulla compendia chirurgica exempli gratia ab **Ebermaier** et **Richter**, sicut etiam nonnullae doctrinae operationum, exempli causa ab **Averill**, eandem non commemorabant.

Dissectio et exsectio nervorum est illa operatio chirurgica, quae ad vehementes pertinaces aliisque remediis resistentes dolores

---

e) *Peter Maria Viellard* ergo in pertinacibus faciei capitisque doloribus nihil prodest, sed contra plurimum nocere potest nervorum quinti paris sectio. Paris 1768.
confer.: Göttinger Anzeige 1769. S. 838.

eorumque eventus in perpetuum removendos quidem suscipitur, sed non semper hoc efficit. Illa quasi tanquam compressione nervorum continua, sed tamen multo efficacius, ductio a parte dolorosa ad cerebrum et vice versa in breve tempus, longius aut interdum perpetuo — prout nervi aut tantum perscissi sunt, aut minor vel major pars eorum excisa est, vel potius fines nervorum perscissi circumflexi sunt — interrumpitur et si haec etiam operatio hactenus tantum ad partem neuralgiarum praecipue applicata est, ejusdem applicatio tamen in futurum magis extensa erit, quum causa dolores in neuralgiis persaepe plus in regione peripherica nervorum et in ramulis eorum, quam in trunco adsit. Sectio nervorum inde etiam praeter in neuralgiis, in quibus hucusque crebrius tantum indicata est, amplius, si non impedimenta quae ex causis anatomicis et physiologicis vinci non possunt ei obstant, in nonnullis aliis vehementibus doloribus et spasmis instituetur.

Indicatio ejus tamen adhuc valde inconstans est, quare saepe in scriptis auctorum, ubi illam exspectamus non invenimus et ibi invenimus ubi eam vix exspectamus. Sic e. gr. in fine praeteriti seculi in editione tertia systematis chirurgiae hodiernae, ab **Henrico Callisen**, volumine primo § CCCCXV in epilepsia si ex nervo corporis dolente nascitur et dolor nec emplastro vesicatorio, nec fonti-

culo aut caustico removendus est, nervorum dissectio jam commendata est. Eodem tempore jam in loco laudato § CCCXIX sequens notatio venerabilis defuncti veterani invenitur: „nervi „praecisio in singulis casibus indicatur ubicun- „que nervus ex parte solutus contusus seu ig- „noto modo adfectus, non solum dolorem, sed „alias quoque generis nervosi turbas exci- „tat etc.“ in qua indicatio valde extensa sita est, quum natura ignota irritaminis latum indicationis campum praebet. Contra, anno *MDCCCXXXV* in compendio chirurgiae praeclari defuncti **Rust** in tetano a **Heyfelder** et **Hasse** dilatationem vulneris ardorem et amputationem membri tractatam invenimus, sed de sectione nervorum hic non disputatur f); et tamen ea, uti **Blasius** anno *MDCCCXXXIX* in compendio operationum suo g) docet, jam *MDCCXCII* a **Wiedemann** in hoc morbo commendata est sicut a **Clephane**, **Larrey** et **Murray** modo cum, modo sine eventu suscepta, imo, etiam paulo ante promulgationem dissertationis tetani in compendio **Rusti**, scilicet anno *MDCCCXXXII* ab **J. Murray** ut **Froriep** narrat h) cum

---

f) Theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie von Dr. Joh. Nap. Rust. Bd. 16. S. 189 u. f.

g) Handbuch der Akiurgie, 2. Auflage, von Dr. Blasius. Bd. 1. S. 509.

h) Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heil-

magno effectu post vulnerationem pedis in tetano sequente suscepta est.

Itaque in omnibus vehementibus doloribus et spasmis, qui originem etiam in alio locali a cerebro remota causa, seu in alio locali morbo, quam in ipsa nervorum inflammatione habent in certo autem nervo apparent, nisi obstacula jam commemorata adsint, dissectione nervi ducentis auxilium praestari posse videtur et si etiam hoc auxilium remedium tantum retardans sit, tamen illo tempus lucramur subtilius contra morbum ipsum cum aliis remediis gravioribus operandi; hinc ea non tantum in nervo laborante sed etiam ducente saepius adhibenda erit. Cum tamen causae neuralgiarum persaepe natura mechanica, chemica vel dynamica sint e. c. laesiones et irritationes alienorum scindentium, pungentium, obtusorum, causticorum, ardentium corporum, exostoses, aneurismata, neuromata, rheumata, arthritis, syphilis, scabies, herpes, metastases etc. quae neuralgiae symptomatice sequntur; cum interdum arthritis, rheumatismus etc. subito evanescant et neuralgia appareat; cum vero etiam interdum neuralgia eodem modo subito evanescat et arthritis, tumor, exanthema etc. se ostendat; quum etiam e. gr. **Ideler** multos morbos

---

kunde, mitgetheilt von L. F. v. Froriep, Dr. der Philosophie, Medicin und Chirurgie. Bd. 38. No. 815. S. 14, 15 und 16.

nervorum evanescere videret cum podagra erumperet i) et sicut etiam **Chaussier** k) prosopalgiam frequentissime in constitutione arthritica inveniebat, ita in his et similibus casibus naturali via semper cura rationalis, radicalis ut remedium praestantissimum plerumque adhibenda est priusquam de sectione nervorum cogitare possumus. Summum tantum subitum periculum recte in eo exceptionem invenire potest.

Sectio nervorum inde indicata est: in omnibus vehementibus continuis sive periodicis, nervo certo exeuntibus, dolorifici spasticis morbis partis, si curationi alii externae et internae valetudinis pertinaciter resistant et quidem in his casibus:

a) in doloribus nervorum, qui in universalibus constitutionis corporis, in debilitate nervosa originem habent et post vim causarum universalium, refrigerationum, incalescentionum, suppressionum, consuetorum profluviorum sanguinis et pituitae, metastases arthritidis et puris, exanthematum suppressorum oriuntur.

b) in neuralgiis quae ut mala localia ex ir-

---

i) W. Sachse im encyclopädischen Wörterbuche der medicinischen Wissenschaften, herausgegeben von den Professoren der medicinischen Fakultät zu Berlin. Bd. 3. S. 418.

k) Table synoptique de la neuralgie.

ritatione surgunt, quam contusi, instrumentis pungentibus, secantibus, fassulis osseis, chemice operantibus et aliis alienis corporibus partim laesi, aut ulceribus erosi et tumoribus irritati et extensi nervi sentiunt.

c) in spasmis, qui ex his sub a et b allatis causis surgunt e. c. trismos, tetanos, epilepsia etc.

d) in omnibus sub a, b, c allatis casibus, ubi post interna et externa remedia sanatio non consecuta est et amputatio partis in compendiis proposita fuit illa quidem ante amputationem indicata et tentanda est.

e) denique ubi in his supra nominatis casibus aliquid tam subito et vehementer accidit, ut nulla jam methodus curationis rationalis ob periculum suscipi possit.

Contraindicata est operatio:

a) ibi, ubi in his malis nominatis, si res permittant, nondum curatio radicalis cum mitioribus internis et externis remediis tentata est.

b) ubi situs nimis profundus nervorum aut

c) ubi truncus nervorum ut nervus singularis ad organum nobile accedit cujus functione carere non possumus et tanquam obstaculum non removendum apparet.

Efficacior erit operatio ubi tantum truncus

unius nervi laborans aut ducens se ostendit, qui in ramificationibus suis non nimis anastomoses intrat et ubi constitutio universalis corporis nondum tantopere per malum locale adfecta est. Inefficacior in oppositis circumstantiis.

Haec breviter exposui de hac operatione in universum. Sed cum haec dissertatio tantum de ea in extremis partibus disputet nunc nervi et praecipue nervi harum partium contemplandi sunt.

Constructio nervorum anatomica veteribus haud dubie ignota erat.

Praxagoras, Herophili antecessor, erat secundum **Bogros** primus, qui eos a tendinibus et ligamentis distinxit; posuit autem originem eorum in finibus arteriarum. Inde sententia, secundum quam quasi canales considerabantur in quibus spiritus animales circulant.

Herophilus dividebat nervos in sensitivos et mobiles. Priores secundum opinionem ejus solidi erant et per vibrationem operabantur; posteriores cavi et liquorem continebant quem causam mobilitatis conspiciebat. Hae opiniones **Praxagorae** et discipuli **Herophili**, qui quarto et tertio seculo ante **Christum** natum vixerunt solum hypotheticae erant et ut omnes procreationes imaginationis modo negatae modo concessae sunt.

Galenus existimabat nervos cavos esse,

in quibus liquor subtilis — Spiritus nervorum, succus nervorum — qui in cerebro ortus esset, a cerebro ad omnes partes corporis et ab his retrorsum ad cerebrum se moveret et hoc modo mobilitatem et sensum procrearet.

Abhinc usque ad labores physiologorum recentiorum discrimen ingens est. Neuralogia ipsis anatomicis septimi decimi seculi l) minus animadversione et attentione digna visa est et demum versus mediam ejus partim accuratiores explorationes anatomicas instituebant. **Casserius**, **Spigelius**, **Sylvius**, **Wepfer** cerebrum explorare studebant. Posterior abjiciebat rete in arteria carotide credendum esse et procreationem spirituum animalium in ventriculis cerebri; abjiciebat etiam theoriam catarrhi, qui ex humore in ventriculis se congregante et per os ethmoideum et sphenoideum ut infundibulum cerebri defluente oriretur. Tunc temporis autem nervi cavi putabantur et in eis humor — succus nervinus — assumebatur, qui in locis diversis corporis exsudaret et spiritum vitalem crearet.

Anno *MDCLXXIV — MDCLXXVII* detegebat **Leeuwenhoeck** m) per vitra sua

---

l) Compendiöse Geschichte der Medizin von den ältesten Zeiten bis zum 2. Viertel des 19. Jahrhunderts, von Dr. R. H. Rohatzsch. Pforzheim 1839. Bd. 1. S. 323. § 7.

m) Leeuwenhoeck anatomia seu rerum cum ani-

lenticularia quae ipse acuerat nervos ex permultis vasculis subtilioribus aut canaliculis oblongulis constare, nervem densitate pili sedecim canaliculos habere qui lente fluentibus globulis expletos esse. Existimabat igitur impressiones nervorum ut pulsationes ab uno globulo ad alterum propagari.

Pater della Torre ipse conformavit sibi parvos globulos hyalinos ex liquefacto vitro per quos detectos globulos **Leeuwenhoeckii** observabat n) sed in nonnullo respectu ejus doctrinam rursus confundebat, quum globulos nervinos in humore lucido natare videret et circulationem eorum assumebat.

Prochaska refutavit hanc hypothesem examinatione sua o). **Fontana**, **Malacarne**, **Barba** et **Treviranus** videbant etiam per microscopium hos globulos in suis canaliculis verum cum filis subtilissimis pertextis p). Etiam **Malacarne** in disputatione

---

matarum tum inanimatarum ope et beneficio exquisitissimorum microscopiorum detecta &c. Lugduni Batav. 1687. 4. p. 37 — 50 de structura cerebri diversorum animalium &c.

n) *Giovanni Maria della Torre*, Nuove osservazioni microscopiche; in Napoli 1776.

o) *Prochaska* de structura nervorum. Vindobonae 1779. p. 42, 76.

p) *Fontana*, Traite sur le venin de la Vipère. *Malacarne*, Nuove expositione dell cerveletto umano. Torino 1776.

sua: „Nervo - encefalotomie, Papiae 1791" nervos in sensibiles, mobiles, mixtosque distinxerat, diversitatemque in eorum structura reperiebat, sicuti jam prius reperta est, molliores quidem vel duriores; cui quidem multi recentiores naturae investigatores assentiebantur. Serius docebat **Reil** duas partes speciales nervorum, cutem nervinam s. neurilema et substantiam nervorum; etiam docebat rationem qua ad cognitionem usus erat q). Etiam ex explorationibus a **Bischat**, **Beclard** etc. apparet nervos ex duabus diversis substantiis, cute nervorum — textura cellulosa — et substantia nervorum — seu filo medullari — constare.

Diligens **Bogros**, qui jam decessit, multas explorationes nervorum fecit et anno *MDCCCXXV* declarabat laqueos nervorum canales cavos esse, qui ubique conjunctim cohaererent, sic ut per foramen s. aperturam hydrargyro, oleo terebinthinae etc. inspergi possent et hanc injectionem per unam eandemque aperturam tam in finem centralem, quam periphericum ingredi r).

Barba, osservazioni microscopiche dul cervello e sue parti adjacenti. Napoli 1807.

Treviranus vermischte Schriften. I. 1816.

q) Exercitationes anatomicae de structura nervorum, fasc. I *J. Ch. Reil.* Hall. 1796.

r) Bogros, Neue Entdeckungen über den Bau

Explorationes microscopiales, quae **Hodgkin** et **J. J. Lister** instituebant permovebant illos anno *MDCCCXXVII* etiam minimum vestigium globulorum et substantiae medullaris negare [s]).

Breschet et **Raspail** per explorationes microscopiales anatomicas permoti *MDCCCXXVIII* canales laqueorum nervorum negabant, in eis inveniebant cellulas rotundas, separatas, quae substantia adiposa vel medullae simili impletae erant et secundum longitudinem in laqueis cohaerebant, qua pariter inter se cubantes corpus nervorum formarent [t]).

Has contradictiones non aestimans declarabat *MDCCCXXIX* **Rosenthal** Reilii divisionem nervi in medullam et neurilema ab omnibus agnitam esse et alios falso filamenta nervorum pro filis solidis, alios pro canaliculis cylindraceis accipere [u]) ipse autem declarabat ut **Remack** *MDCCCXLI* docet filamenta primitiva s. canaliculum primitivum

---

der Nerven, in Froriep's Notizen, Band 10, Anno 1825.

s) Froriep's Notizen. Bd. 18. S. 248. *Philosoph. Mag.* and Annal of Philos. No. 8. Aug. 1827.

t) Froriep's Notizen. Bd. 20. S. 305 und ferner Bd. 21. S. 193.

u) Froriep's Notizen. Bd. 25. S. 17.

nervi ex tribus partibus constare, ex vagina filamentosa cellulosa textura, ex vagina medullari tenebrosa non structa et ex filamento pallido primitivo v). —

Ehrenberg post explorationes suas microscopiales accipiebat anno *MDCCCXXXIII* iterum in nervo canaliculas cylindriacas, medulla impletas, per texturam cellulosam communiter conjunctas w). —

Remack declarabat anno *MDCCCXXXVIII* **Ehrenberg** structuram canaliculatam filamenti nervini primum demonstravisse x) et **H. Holland** *MDCCCXXXIX* explicabat detectionem canaliculorum in filamentis nervi per **Ehrenbergum** adeo detectionem inexspectatam y). —

Quamvis oppositae hae declarationes etiam inter se sint, tamen multas proprias, liberas explorationes probant et nonnullas valde utiles notationes de structura systematis nervorum praebent. Admirandum tantum est, quam parum nonnulli auctores doctos suos antecessores et eorum theoriam respexerint. — Nam quomodo aliter tam multa ut supra demon-

---

v) Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Bd. 25. S. 131.

w) Froriep's Notizen. Bd. 37. S. 260.

x) Froriep's neue Notizen. Bd. 6. S. 342.

y) Froriep's neue Notizen. Bd. 14. S. 22.

stravimus affirmari potuissent? — Sed tales sententiae habent tamen etiam suam utilitatem, ab altera enim parte ostendunt liberum indagatorem ejusque opinionem explorationum suarum, quae aut aliam firmant, aut aliam falsam abjiciunt, ab altera vero parte videmus quid de non multis theoreticis eorumque theoriis accipiendum sit et docent nos multos auctores vitare et tempore nostro melius uti.

Anatomia practica, sine microscopia, ante nonnullos annos docebat, ut e. gr. compendium **A. Hempelii** z) adhuc monstrat, nervos ex solidis, rotundis, mollibus, albis laqueis — *filis* — constare, qui partim cum cerebro et medulla spinali conjuncti sunt — *nervi cerebrales et spinales* — partim magis substantiales apparent — *systema yanglianosum* — symmetriae convenienter collocati sunt, centralem, tenuiorem cum cerebro aut medulla spinali continentem et periphericum vario modo cum multis tenuibus ramis ad organa se propagantem crassum finem habent, ex tenuibus pariter inter se cubantibus, cylindraceis filis constant, quae per texturam cellulosam juncta, laxe aut firmiter junctim cubant et cum cute cellulosa — *neurilema* — circumdata sunt, quae circumvo-

---

z) Anfangsgründe der Anatomie, von Dr. A. F. Hempel. 2 Theile. Göttingen 1832.

lutio texturam cellulosam, vasa sanguinis et adipem continet. Nervi currunt modo separati in certas partes, modo circumvolvunt vasa sanguifera et ductus excretorios et creant ansas, modo dividunt se, congregant iterum inter se et plexus faciunt, modo formant in cursu suo turgessiones et ganglia. Anastomosis non fit ut in vasibus sanguiferis, sed filamenta quae in nervo cum textura cellulosa conjuncta et cum vagina — *neurilemate* — circumdata, truncum ejusdem formant, separant se et in alios nervorum truncos sive ramos transgrediuntur; aderant igitur jam in trunco, neque demum ab eo, ut in vasibus rami, formabantur, ubi decedunt.

Anatomia praesentis temporis practica, artificiosis instrumentis opticis instructa, sicut ejus theoria docet nos, nervos ex canaliculis nervorum primitivis et neurilemate constare. Canaliculi nervorum primitivi, fibrae primitivae plane cylindraceae, perlucidae, clarae vaginae sunt sine colore et structura, quae continent quoque materiam pari modo perlucidam, claram, sine colore, fluidam vero, cujus diameter $\frac{1}{200}$ ad $\frac{1}{2000}$ linearum est; eandem propriam in omnibus partibus systematis nervorum naturam habent, tam in centrali, quam in peripherica parte earumque singulis formationibus; nonnullae parvae tantum modificationes magnitudinis diametri, sicuti firmitatis et roboris

vaginae locum habent. Nervi ex majore vel minore numero, ordine parallelo juxta se invicem jacentium canaliculorum primitivorum constant, qui propria, firma, membranosa vagina — neurilemate — circumcluduntur, atque modo crassiores, modo tenuiores albi, firmiores laquei filaque apparent, quae a cerebro et medulla spinali in satis recta directione ad omnia corporis organa currunt. Hi canaliculi primitivi pro portione minore numero in nervis tenuibus simplici neurilemate circumdati sunt; plures vero horum tenuium nervorum rursus juxta se positi communi vagina secundari ad crassiorem nervum circumdantur. Commune hoc neurilema secundare tum tabulatum laxae, athmosphaericae tunicae cellulosae circumdat — *vagina cellulosa nervorum.* Canaliculi primitivi igitur tantum juxta se collocati sunt neque unquam secum conjuncti in aliqua parte; sed tantum ubi a cerebro et medulla spinali discedunt, in tenuiores vel crassiores fasces ad laqueos nervorum conjunguntur ad truncum nervorum formandum et serius rursus, ut ad diversas partes perveniant, digrediuntur [a]. Quilibet igitur canaliculus primitivus sive fibra primitiva, nervorum filum vel canalis in sententiam modo expositam a cerebro et medulla

---

a) Lehrbuch der allgemeinen Anatomie des Menschen, von Victor Bruns. Braunschweig 1841.

spinali usque ad ejus locum finalem plane separatum cursum habet. b)

Ch. Bell anno *MDCCCXI* anatomicis quaestionibus, pathologicisque observationibus ad hanc sententiam adductus est: priores radices nervorum spinalium ad motum, posteriores ad sensum destinatas esse, cf.: „*Idea of a new Anatomy of the Brain, submitted for the observations of his friends, by* **Ch. Bell**;" quae sententia experimentis **Magendii** aliorumque dissecandis prioribus vel posterioribus nervis spinalibus in animalibus vivis c) — sicut **Mülleri** et **Panizzae** in ranis plane confirmata est. Ex eo inde tempore omnibus physiologicis notum est, irritamenta mechanica et galvanica posteriorum nervorum radicum medullae spinalis sensum doloris, priorum vero manifestum musculorum motum producere. Attamen quum nervi membrorum extremorum, ubi in medulla spinali cum conjungentibus ramis ad nervorum partium extremarum textum formandum oriuntur, ad hos ramos formandos tam a prioribus, quam a posterioribus nervorum radicibus nascuntur, ut videre licet in **Fror.** *not. vol. II. No. 34.* clarissime in nonnullis tabulis, sicut etiam anatomia practica probat

---

b) Remack im encyclopädischen Wörterbuche der medicinischen Wissenschaften. Bd. 25. S. 130.

c) Froriep's Notizen. Bd. 3. No. 58. S. 209 und ferner S. 223.

eos mixtae originis esse, — ita respectu eorum, quae supra experientia docti didicimus sine ullo dubio inde sequitur, functiones quoque harum partium mixtas esse debere, quod quidem etiam conditione naturali et sana in nobismet ipsis animadvertimus.

Omnes igitur nervi extremarum partium simul nervi sensuum et motionis sunt. Ex his causis, quae rationibus anatomicis, physiologicis et pathologicis continentur, nervi quoque extremarum partium imprimis propensi sunt, neuralgia et spasmo laborare — imprimis vero etiam apli ad sectionem prae aliis. Cognitio anatomiae quoque eorum diagnosin et operationem faciliorem reddit. Extensio, motio quorundam musculorum harum partium, vel pressura laborantem nervum saepe clarissime significat.

In membris haud dubie tot sunt neuralgiae, quot nervi nervorumque rami. Accipienda igitur est neuralgia *nervi cutanei externi*, *n. c. medii*, *n. c. interni*, *nervi axillaris*, *nervi medii*, *nervi ulnaris et nervi radialis* in brachio cum omnibus partium divisionibus. Ita vero etiam in femore.

Laesio nervorum cutis — *neurosis* — praecipue in sanguinis missionibus observata est; atque negari non potest in hac operatione totam horum parvorum nervi ramorum decisionem saepius occurrere, quam eorum incisionem vel vulnerationem; nam mihi ipsi, qui ruris me-

dicus saepissime sanguinis missionem instituo, nominatim in brachio nonnunquam casus accidit, ut aegrotus, cujus sanguinem e brachio emisi, subitum, vehementem dolorem sentiret, qui manifesto secundum cursum nervi cutanei usque ad cavernam subalarem se diffunderet, sed sensim sensimque remittens post parvum temporis momentum plane evanesceret. Propter ipsam horum nervorum tenuitatem vulneratio fortasse rarius accidit. Eam autem occurrere et vehementem fieri posse, inde videri licet, quod **Pott** et **Abernethy** consilium dederunt, laesum nervum persecandi d) et **H. Callisen** quoque in extrema editione systematis chirurgiae vol. 1 § CCVIII profundiorem etiam incisionem, caustica et amputationem ultimum triste remedium proposuit, sicut etiam **Günther** in dissertatione sanguinis missus *MDCCCXXVIII* vol. I lexici encyclop. litterarum medicin e). laesum nervum, si gravis et de industria facta sanguinis profusio, circumvolutio membri, quies, hirudines et aqua saturni frustra adhibita sunt, transverse supra vulnus sanguinis missus — etsi aliquid dubitans — persecare suadet. Felici successu **Wilson** in casu nervorum laesionis post sanguinis

---

d) *Abernethy* in Surgical Works. Vol. II. p. 133. London 1815.

e) *H. Callisen* systema chirurgiae hodierna. Volumen primum. § CCVIII.

missum, quo acerbissimi dolores efficiebantur, affectum nervum supra locum laesum dissecuit f). **Crampton** quoque et **John Hamilton** in nervorum laesione post sanguinis missum dissecationem felici successu adhibebant g). Itaque quum **Nicolai** in **Rustii** compend. chir. vol. XIII dicit. „Sectionem nervorum raro exsequendam esse“ h) sicuti **Chelius** in secunda edit. compend. chirurg. i) raro eam esse instituendam, tamen ex supra allatis videri licet, eam post sanguinis missum valde necessariam et utilem esse.

Ubi igitur in brachio post levem, superficiem tantum stringentem, subtilem vulnerationem ex indiciis suspicari possumus, *nervum cutaneum brachii externum, n. cutaneum brachii medium, n. c. brachii internum, ramum palmarem longum, nervum cutaneum antibrachii externum superiorem, n. c. a. e. inferiorem, ramum dorsalem nervi radialis, ramum dorsalem nervi ulnaris* laborare; sive ubi causa est, ut credamus, in femore *nervum cutaneum femoris anterius externum,*

---

f) Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Bd. 25. S. 116.

g) Froriep's neue Notizen. Bd. 7. No. 150. S. 284 und 85.

h) Rust, Handbuch der Chirurgie. Bd. 13. S. 393.

i) Chelius Handbuch der Chirurgie. Bd. 2. S. 688.

ramum cutaneum nervi spermatici externi, nervum cutaneum femoris anterius medium, n. c. f. internum s. saphenum minorem, nervum saphenum majorem, nervum peronaeum — s. fibularem — superficialem, nervum cutaneum dorsi pedis internum, nervum cutaneum dorsi pedis medium, n. c. d. p. externum, nervum cutaneum femoris communem posteriorem, nervum communicantem fibularem, n. cutaneum externum dorsi pedis, sive nervum tibialem laborare, ibi fortasse, quoniam hi nervi inter cutem et tendinosas vaginas collocati sunt, quae partes extremas in universum circumdant, simulac dilatandi vulnere id quod nobis proposuimus assequi non licet, dissectio eorum supra vulnus indicata fuerit, locus et casus vulneris, sicuti pressus affecti nervi ibi chirurgum ducere debent, ut indicationem suam proponat.

Quodsi nervus subcutaneus brachii medius laesus fuerit, aut leve vulnus instrumento tantum mechanice secante vel pungente paullulum supra patellam et paullulum in externam partem versus, ubi musculus vastus externus et rectus femoris tendinem communem extensorium formandum adjuvat, inflictum fuerit, quo **ramus nervi cutanei femoris anterioris medii** laesus sit, quo eodem statim momento acutissimus electrico motui similis dolor secundum nervi cursum procreatus sit, qui non solum in

nervum cruralem, sed per hunc etiam et sursum versus ad ramos in pelve sitos, et deorsum in alios ramunculos; sicuti supra laesione nervi subcutanei brachii medii fortasse in sanguinis missu, sursum versus in plexum brachialem etc. se extenderet, hoc casu, si methodus antiphlogistica, antispastica celerem relevationem non afferret, neque cauta, artificiosa vulneris dilatatio dolorem tolleret, dissectio illius nervi supra vulnus indicata foret.

Postquam cursum nervi, qua parte inter tendinosam vaginam et cutem situs est, accurate tibi in mentem revocaveris, leni pressu acumine digiti situm ejus inter haec duo tegumenta accuratius explorare studebis, atque nunc cutis plicam facies, ita, ut ejus dissectio cum nervo veluti crux Melitensis decussatim incidant; sive cutem perseces sine plica, ita ut sectio cursum nervi allato modo oblique incidat; postquam vulnus distraxeris et purgaveris, nervum in subtili adipe et tunica cellulosa quaeres, volsella tolles eum et dissecabis, vel dissecabis, ut tutius eas omnem adipem et tunicam cellulosam, quam inter labia hujus vulneris invenies una cum illo. Tum alligabis vulnus nonnullis taeniis emplastri adhaesivi et circumdabis membrum compressura et fascia. Certissimum est signum, nervum affectum aptissimo loco dissectum esse, si dolor ejusque casus statim post dissectionem evanescant; quod nisi accidit, nisi dolor sta-

tim post operationem evanuerit, dissectio iterum altius, vel in trunco, cujus ille nervus, ut truncus aliorum ramorum, ramus tantum est, iterum suscipienda est.

Dolores spasmique, qui ab altius situ vulneratione sive affectione nervi digitalis proficiscuntur, aut in nervo dorsali sive volari digiti manus originem habent. *Si dolor a membro unguis proficiscitur, nervus tantum volaris digiti laborare potest,* quia nervi dorsales non tam alte descendunt; idem quoque de inferiore secundi membri digitalis parte contendi poterit. Magis sursum versus res aliter se habet. *Quodsi dolor digiti deorsum versus secundum nervum medianum se extendit, nervus quoque volaris digiti laborat.* Certissime quoque vulneratione sive alia affectione ope anatomiae distingui poterit, qui nervus laboret; quodsi haec accurate circum nervos volares pollicis, digiti indicis, vel medii et circum latus radicale digiti annularis locum haberet, ramus est nervi mediani; si institueretur in nervo volari lateris ulnaris digiti annularis et in utroque latere digiti parvi, pars est rami volaris nervi ulnaris qui laborat; ibi dolor magis secundum arteriam ulnarem in nervo ulnari sursum versus se extendit, illuc magis in media manu secundum tendines musculorum flexoriorum digitorum in trunco nervi mediani progreditur. Quodsi dolor in nervo dorsali lateris radicalis digiti

medii, vel in alterutro latere digiti indicis et pollicis locum habet, pars est rami superficialis nervi radialis; sin autem locum habet in nervo dorsali, in latere ulnari digiti medii, sive in alterutro latere digiti annularis et parvi, pars est rami dorsalis nervi ulnaris quae laborat. Ibi dolor a digito vulnerationis in dorso manus sursum a ramis suis usque ad ramum dorsalem se extendit, et secundum ejus cursum paullatim ad superficiem volarem ulnae et sic per nervum ulnarem pergit; ibi vero secundum partes rami superficialis paullatim a dorso manus ad superficiem volarum radii et in nervo radiali progreditur. Attamen in nonnullis casibus admodum raris parvae exceptiones propter alium cursum unius vel alterius rami cujusdam nervi locum habere possint, si solita distributio deflectit, plerumque vero ita est, ut supra descripsimus.

Quum nervi digitorum cum vasibus in lateribus digitorum descendant, vasa loco ducum sunt. Cutis dissectio igitur supra locum dolentem aut in laborante digiti membro, aut in proxime adjacente membro, postquam cursum nervi dolentis, quantum fieri potest, inveneris, instituenda est et tum post nudationem incidendum est, ubi vasibus parcere studebis. In casu quodam vehementis, per periodos revertentis doloris in interiore digiti annularis laevae manus margine, **Abernethy** a dolente digiti nervo hujus lateris in secundo

membro partem semidigitalis longitudine excidit. k)

Si nervi digitales laterum volarium propter extensionem affectionis localis non dissecandi sunt, vel si vulnerationes nervorum in manu cava locum habent, aut ramus volaris nervi ulnaris, aut in casibus urgentibus ubi nervi digitales nervi mediani affecti sunt, ramus superficialis nervi mediani persecandus est.

Ad ramum volarem nervi ulnaris persecandum, qui cum arteria ulnari inter tendinem musculi flexoris carpi ulnaris et flexoris communis digitorum supra manus articulum ad manum cavam currit et in hoc cursu proxime latus radiale ossis pisiformis situs est, opus est ut ab osse inde pisiforme incisio circiter duorum digitorum in longitudinem per integumenta efficiatur; tum fascia antibrachia persecetur, per socium interius vulneris labium in interiorem partem versus trahatur, praeparetur tum caute porro inter tendines, ubi pulsans arteria ducit et ibi nervum in interiore latere arteriae situm invenies; tollatur deinde hamo obtuso vel volsella in sublime et denique persecetur.

---

k) Abernethy's medicinische chirurgische Beobachtungen, aus dem Engl. Halle 1809. S. 179. Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Bd. 25. S. 116.

Si necesse est, ut ramus superficialis nervi mediani persecetur, incisio ita instituenda erit, ut a superiore margine ligamenti carpi volaris proprii incipiat et accurate medios inter tendines flexoris carpi radialis et flexoris quatuor digitorum sublimis per cutem sursum versus pergat; postquam cutis dissecta est, in eandem directionem aponeurosis palmaris persecetur, quaeratur nervus inter tendines et persecetur ut supra monstratum est.

Dissectio nervi, quatenus mihi notum est, **in articulo manus** — *carpo* — nondum suscepta est, vulnerationes tamen suspicari nos patiuntur, hic quoque cum successu instituendam esse [1]). Quodsi laesiones nervorum digitalium a superficie dorsali in summa parte digitorum, vel laesiones in dorso manus locum habent, *fieri potest, ut opus sit* **ramum superficialem dorsalem nervi radialis** sicuti **ramum superficialem dorsalem nervi ulnaris** *persecare*; et quum hi rami nervorum inter cutem et aponeurosin collocati sint, in hoc consilium optime in articulo manus disjungendi sunt. Semidigitalem fere infra radium obliqua ab interiore parte ad exteriorem versus currens incisio efficiatur ad ramum dorsalem nervi radialis, et semidigitalem fere infra ulnam obliqua ab ex-

---

1) Froriep's neue Notizen. Bd. 7. S. 282.

teriore parte in interiorem versus incisio ad ramum dorsalem nervi ulnaris dissecandum; postquam in utroque anatomice situm in mentem revocaveris, et pressu digiti in dorso manus et radice cursum accurate exploraveris.

Nervus ulnaris *etiam in brachio anteriore, si opus erit, dissecari potest*, et hoc quidem, sin incisio distantia circiter trium digitorum in latitudinem a condylo interno ossis humeri, in anteriore superficie ulnae prope ejus marginem interiorem incipitur et in directionem hujus ossis tres digitos ultra perducitur. Aeque longe tum fassia antibrachii persecatur et musculi, qui ibi apparent, disjunguntur manubrio scalpelli, palmaris quidem longus et flexor carpi ulnaris, ubi labia vulneris duobus obtusis hamis distrahenda sunt; nunc secundum intervallum offendimus, quod musculo flexore carpi ulnaris et musculo flexore quatuor digitorum communis et profundi efficitur; dilatamus hoc interstitium et duobus his musculis prioribus a se separatis ibi nervum cubitalem in interiore latere arteriae ulnaris invenimus, quae hic medias inter duas venas sita est. Caute illo quantum fieri potest sublato, discinditur.

Commodior **nervi ulnaris** *dissecandi ratio* sine dubio a **Delpech** et **Earle** in condylo interno ossis humeri suscepta est. Ibi nervus in summa superficie loco certo constitutus est; decurrens enim in interiore brachii

superioris margine cum arteria collaterali superiore conjunctus, in hoc cursu post ligamentum intermusculare internum situs est, ad articulum ulnarem pervenit in spatium inter processum anconeum et condylum internum, et in profundo canaliculo posterioris superficiei condyli interni, prope trochleam, recumbit, priusquam inter musculum flexoris carpi ulnaris et flexoris quatuor digitorum communis sublimis ad brachium anterius progrediatur. Hic in illa posteriore planitie condyli interni nervus tantum a cute et fascia antibrachii tectus est. Operatio a **Delpechio** facta descripta est in **Fror.** not. 1832 volumen XXXIII, pag. 75 sqq. Tali modo instituitur. Aegrotus sedens brachium in rectum angulum flectit et in levi pulvinari ad corpus apponit, ita ut totus cubitus in externam partem conspici possit. Famulus illum in hoc situ retinet. Plica cutis ita in sublime tollitur ut cum cursu nervi in rectum angulum decussatim incidat; altera pars ejus ab alio famulo tenetur, atque nunc haec plica in rectam directionem cursus nervi persecatur, fascia antibrachii eadem directione disjungitur, et curvato specillo cavo sub illum applicato, eum persecat. Dissectae partes statim sibi invicem appropinquantur et taeniis emplastri adhaesivi in hac conditione continentur.

Ramus quoque superficialis nervi radialis superioribus brachii ante-

rioris vulnerationibus persecari potest. Brachio enim in resupinationem adacto, leniter flexo et in mensa reposito, incisio circiter unum et semidigitum infra articulum in interiore margine musculi supinatoris longi incipitur per duos et semidigitos continuatur et in eandem directionem fascia aponeurotica dirimitur. Vulneris labiis distractis manubrio scalpelli musculus flexoris carpi radialis et supinatoris longi disjungantur, atque nunc nervus in exteriore arteriae radialis latere reperitur. Caute ab illa separatur, in sublime tollitur atque tunc persecatur.

Quodsi propter laesiones opus erit nervum medianum altius persecare, facillime hoc modo perfici possit. Incisione duorum digitorum in interiorem marginem musculi bicipitis per integumenta facta, nervus medianus, qui in hominibus tenuibus et marcidis ut extentus funis in cute incolumi sentitur, nudatus apparet, atque caute illo ab arteria brachiali paullulum sublevato, in specillo persecatur.

Imo altius quoque in brachio superiore nervi adhuc persecandi sunt. Ita **Crampton** ut **Hamilton** narrat m), semidigitalem e nervo musculo cutaneo excidit, qui post incisionem in exteriore margine musculi bicipitis

---

m) Dublin. Journ. March 1838.

facile inveniebatur. Nervus radialis ibi sub ligamento intermusculari externo, sicut nervus ulnaris sub ligamento intermusculari interno invenitur. Quodsi incisio altius adhuc indicata foret, jam fere ad **Lisfrancii** methodum, ut in arteria axillari, in caverna subalari instituenda esset.

Qui tutissime ad opus aggredi vult, optime faciet, si directionem omnium operationum, quas incisio ingredi debet, antea sibi atramento designet; bonum quoque erit, cutem ubique, si fieri potest, plicare, quia tum minus facile partes subjacentes laeduntur; supra vases et tendines ad porro secandum cavo speciello uti poteris.

De dissectione omnium extraneorum inter cutem et fasciam collocatorum nervorum partium extremarum jam supra communia ad omnia apta praecepta attuli.

Nervorum dolores extremitatum inferiorum post laesiones in **pede, femore inferiore et superiore** occurrere possunt. **Quodsi e. c. nervus dorsalis internus digiti hallucis** laeditur, dolor secundum nervum cutaneum dorsi pedis internum ad ramum superficialem nervi peronei se extendit. Ibi, si vulneratio nervum dorsalem internum digiti hallucis in digito ipso persecandum non admittit — nervus cutaneus dorsi pedis internus in inferiore et anteriore parte femoris inferioris, ubi oblique ab interiore parte ad ex-

teriorem versus, et ab inferiore ad superiorem ad ramum superficialem nervi peronei se confert et ubi inter cutem et fasciam suralem situs est, commode persecari potest. — **Quodsi nervus dorsalis externus hallucis sive nervus dorsalis internus digiti secundi** laeditur, dolor secundum ramum profundum nervi peronei per primum intervallum ossium metatarsi, sub musculo extensore hallucis brevis, super tarsum ad articulum pedis, sub ligamento cruciato se extendit usque ad anteriorem planitiem ligamenti interossei inter musculum tibialem anteriorem et extensorem longum digitorum. **Nervus interosseus, ex quo uterque nervus digitalis oritur, ibi commode hoc modo persecari potest.** In intervallo inter tendines musculi extensoris hallucis longi et primum tendinem secundi digiti extensoris digitorum pedis longi per cutem in metatarso apta cutis incisio infertur, quae paullulum oblique ab interiore parte ad exteriorem versus currit, ita ut cursum directione contraria, verum tamen paullo rectius faciat, quam musculus extensor hallucis brevis, quem tum in longitudinem transcurrit; tum aponeurosi pedis dorsalis dissecta nervus quaeritur, qui plerumque ibi juxta arteriam dorsalem pedis in exteriorem partem versus situs est, atque tendine musculi extensoris brevis remoto caute eum extrahit atque dissecat. — Laesiones nervi dorsalis di-

giti secundi externi, nervi dorsalis digiti tertii et quarti interni et externi et nervi dorsalis digiti minimi interni dolores secundum **nervum cutaneum dorsi pedis medium** excitant, qui ad ramum superficialem nervi peronei se trahunt. **Hic nervus ejusque rami**, qui sub cute collocati sunt, simplici cutis incisione aut in digitis in dorso pedis, aut in inferiore parte femoris inferioris facillime dissecari possunt, in quo sensus et pressura ducere debent. — Eodem modo agendum est, si nervus dorsalis digiti minimi externus, ramus nervi cutanei dorsi pedis externi laesus est. — **Vulnerationes in metatarso et tarso dorsi pedis** ramos omnium interiorum et exteriorum nervorum dorsalium digitorum laedere possunt; **quodsi hanc ob rem nervum superficialem peroneum dissecare optamus**, hoc tali modo fieri potest: nervo premendo ejus locum explorare studemus et nunc oblique supra hunc cursum a superiore parte ad inferiorem et paullulum ab exteriore ad interiorem versus currente incisione per cutem facta truncum quaerimus, ubi fasciam suralem transfodit ad nervum cutaneum dorsi pedis internum et medium emittendum; quo reperto aut ante fasciam persecamus, aut caute rimam fasciae cruris aperimus persequimur eum usque ad musculum peroneum brevem ibique dissecamus.

In anteriore superficie femoris

inferioris *rami nervi peronei superficialis* inter cutem et fasciam in inferiorem partem versus partim ab interiore parte in exteriorem versus, partim a medio, sicuti ab exteriore parte sursum versus se extendunt, qua quidem re *ramos nervi sapheni magni,* qui ut vena saphena magna in interiore parte plani anterioris sursum aut deorsum se porrigunt, decussatim incidunt. **Ibi dolor nervi, utrum in interiore an in exteriore parte plani se extendat decernere debet, qui ramus sit laesus.**

In regione patellae exempli gratia circa eam in inferiorem et interiorem partem versus, *ramus nervi sapheni majoris,* in superiorem et exteriorem partem versus *rami finalis nervi cutanei femoris interni s. sapheni minoris et nervi cutenei femoris anterioris medii;* ad medium femur superius versus ab interiore parte ad exteriorem versus *nervus cutaneus femoris interni s. saphenus minor, nervus cutaneus femoris anterioris medii et nervus cutaneus femoris anterioris externus;* in regione inguis ab interiore parte ad exteriorem versus *nervus ilio-inguinalis, ramus cutaneus nervi spermatici externi, nervus lumbo inguinalis et nervus cutaneus femoris anterioris externus* in vulnerationibus laedi possunt. Omnes hi nervi inter cutem et fasciam latam collocati sunt, qua propter facillime laesionibus expositi sunt, verum etiam

facillime persecare possunt, si res instituitur ut supra in nervis cutis extremitatum superiorum descriptum est.

Vulnerationes in plano volari seu planta pedis in exteriore et interiore margine digiti magni in *nervum plantarem hallucem internum et externum* incidunt; in interiore et exteriore margine secundi et tertii digiti, sicuti in interiore margine digiti quarti in *nervos digitorum internos et externos nervi plantaris interni*; in extremo margine quarti et utroque margine digiti *parvi nervos plantares digitorum internos et externos nervi plantaris pedis externi*; — **vulnerationes in metatarso,** quae aponeurosin plantarem penetrant, si in regione musculorum lumbricalium locum habent, *in ramos nervi plantaris interni et externi incidunt*; si altius penetrant ad musculos interosseos, *ramos rami profundi nervi plantaris externi* offendunt; — **vulnerationes in tarso** inter abductorem hallucis et flexorem communem digitorum brevis *in nervum plantarem internum incidunt* paullo exterius vulnerationes, quae musculum flexorem brevem digitorum et musculum carnis quadratae Sylvii transfodiunt, *nervum plantarem externum* laedere possunt; in capite posteriore abductoris digiti hallucis vulneratio nervum plantarem internum et externum laedere potest; **in interiore parte calcanei**

sub malleolo interno vulneratio in *partes nervi tibialis*, ubi in ramum plantarem internum et externum dividitur, incidere possit. Apertum vero est, praeter has nominatas frondes, ramos et nervorum trunculos multitudinem ramorum musculorum laedi posse.

Directio vero doloris, sicuti locus et directio vulneris, sicut etiam perturbatio functionum partium laesarum et cognitiones anatomicae et physiologicae hic quoque ut in hac operatione ubique ducere debebunt.

In posteriorem partem versus **in plano s. superficie femoris inferioris** inter fasciam suralem et cutem *nervus quoque saphenus major*, *nervus communicans fibularis*, *nervus communicans tibialis* et *nervus cutaneus externus dorsi pedis* quatenus fasciam perfoderunt levibus vulneribus laedi possunt; **in superficie posteriore femoris superioris** inter fasciam latam et cutem etiam *nervus cutaneus femoris communis posterior*, *posteriores rami nervi cutanei femoris anterioris interni s. sapheni minoris* laedi *possunt*.

Nervi plantares digitorum in digitis solito modo, ut jam supra in manu indicatum est, persecari possunt. — Vulnera per aponeurosin plantarem saepius dilatari possunt sive in longitudinem trahi atque tum nervus laesus in locis indicatis interdum persecari posset; sin autem plures rami laesi sunt, rectissimum est,

nervum tibialem in interiore pedis articulo persecare, ut jam **John Murray** post vulnerationem clavo rubiginoso pedi induendo, qui in metatarso inter os metatarsum digiti hallucis et digiti secundi in pedem penetravit, post quam in puero nautico quindecim annorum tetanus consecutus est, felici successu suscepit; ut contra dissectionem nervi sapheni — ut **Blasius** in compendio acurgiae narravit n), infelici successu suscepit.

Dissectio nervi tibialis in malleolo interno tali modo instituitur. Inter malleolum enim internum et tendinem Achillis — sive ut **Murray** dicit circiter digitum post malleolum — incisio longitudine 1 et semis vel duorum digitorum infertur, ubi stratum crassum aponeuroticum offendimus, sub quo arteriam tibialem posticam pulsare sentimus et videmus. Aponeurosi caute disjuncta caute profundius praeparatur, ubi tum arteria tibialis postica apparet, atque post illam nervus tibialis invenitur solito situ. Qui postquam acu aneurismatica solutus est, tollitur atque persecatur. **Murray** eum in hac conditione duplici crassitudine inveniebat amplius solito qua propter ejus collega dubitabat an nervus esset. Motum fieri jussit, qui decerneret, quia, si tendinem

---

n) Blasius, Handbuch der Akiurgie. Band 1. S. 517.

pro nervo cepisset, ille in acu se movere debuisset, quod vero non accidit.o)

Quodsi rami nervi peronei in metatarso aut tarso laeduntur, fieri potest, ut opus sit **nervum peroneum profundum, aut nervum tibialem anticum,** ut nominatur quoque, in femore anteriore persecare. Paullulum supra tarsum, in exteriore parte tibiae incisio cutis longitudine duorum digitorum infertur, ita ut super interstitium musculi extensoris hallucis longi et tibialis antici currat, tum fascia aponeurotica cruris dissecta in hoc loco nervus peronaeus profundus in exteriorem partem s. superficiem versus juxta arteriam tibialem quaeritur, quo soluto et caute sublato, persecatur. — **James Anderson** in homine quatuordecim annorum, qui post vehementem lapidis jactum in pedem inter os metatarsi hallucis et digiti secundi talem vulnerationem ramorum nervi peronaei profundi acceperat, ut ille plane idioticus fieret, in hoc loco partem circiter unius digiti in longitudinem ex hoc nervo plane felici successu statimque remittente dolore sensuque revertente excidit. p) — **Quodsi hunc nervum altius in femore**

---

o) Von Froriep's Notizen. Bd. 38. No. 815. S. 14.

p) Froriep's Notizen. Bd. 14. S. 122.

anteriore persecare volumus, methodum **Lisfrancii** eligimus, qua in substringendo aneurismo arteriae tibialis anterioris usus est. Femur inferius aegrotum extenditur, in plane posteriore ponitur et pes inflectitur. Nunc circiter unum vel unum et quadrantem digitos subter lineam mediam femoris anterioris et circiter unum et quadrantem digitos a crista tibiae in exteriore parte incidio incipitur, quae eadem altitudine super lineam mediam femoris anterioris continuatur, ita ut haec cutis insectio duos vel duos et semis digitos sit longa, et secundum marginem fibularem musculi tibialis antici se extendat; tum discissa aponeurosi penetramus inter illum musculum et musculum extensorem digitorum communem longum usque ad ligamentum interosseum, ubi in profunditate fere unius digiti arteriam cum comitantibus duabus venis et in exteriorem partem versus ramum profundum nervi peronei invenimus; nervus tum caute solvitur, in sublime tollitur et persecatur. — Quodsi **nervus tibialis** altius laesus est, ita ut **Delpech** describit persecari potest. q) Aegrotus miles juvenis, in dorso prostratus erat, femur aegrotum inflexum in exteriore parte contra cubitum reclinans; tunc e regione posterioris marginis

---

q) Froriep's Notizen. Bd. 33. S. 74.

tibiae brevi sed admodum convexo scalpello incisionem unius digiti in longitudinem in cutem faciebat. Stratum superficiale aponeuroseos simili circuitu aperiebat et proxime os. Nunc profundum stratum apparuit et per illud facile laqueus communis vasorum et nervi tibialis cognoscendus erat. Hoc quoque apertum est atque tum specillum sulcatum sic in fine curvatum est, ut tertiam partem circuli quindecim linearum in diametro efficeret, post exteriorem partem nervorum promotum, et in interiore ejus parte extractum. Sic nervus in cava parte instrumenti totus apparuit, neque vasa eorumque communis tunica cellulosa minimam mutationem in eo experta sunt. Nervus volsella anatomica arreptus est et egregio forfice tam aequaliter discissus, et primum quidam in superiore angulo incisionis et tum quinque lineas rursus paullo infra. Sola prima incisio dolores excitavit; sex lineae nervi hoc modo remotae erant atque uterque finis ejus cicatrice obductus est. In cute sanguinis effusio secuta erat, sed in fundo incisionis tunica cellulosa nusquam cruenta erat; partes quoque sine ulla mora a tactu aëris remotae sunt, taeniisque emplastri adhaesivi arctius inter se conjunctae sunt.

Uterque ramus nervi peronei, ramus quidem superficialis et profundus facillime collo fibulae persecandus est, quum circa exterius ejus latus in anteriorem partem ver-

sus et deorsum se vertat; in quo quidem non obliviscendum erit, ramum profundum proprius capitulum fibulae situm esse, quam ramum superficialem, qui mediae parti adjacere. Quodsi laesionibus nervi cutanei dorsi pedis interni et medii medendum est, hic, alioquin vero ille persecandus est, Si propositum est truncum utriusque rami h. e. **nervum peroneum ipsum** persecare, **Swanii** methodum sequi utile erit, qui incisionem duorum digitorum in longitudinem in interiorem marginem externi genu tendinis fecit, partemque I et semis digitos longam excidit r). Sed hic bene reminiscendum est, divisionem nervi peronei in ramum superficialem et profundum non semper in capitulo fibulae, sed saepius multo superius fieri.

Si opus est **nervum tibialem in poplitea persecare**, incisio inter colles articulorum ossis femoris per cutem infertur, atque tum per aponeurosin, quae ab ima parte ad summam circiter II aut tres digitos se extendit, atque nunc eum post venam popliteam paullulum in exteriorem partem versus situm invenis; arteria poplitea ibi profundissime sita est, nervus maxime in superficie, quam ob rem hic optime attingendus est. —

---

r) Blasius, Handbuch der Akiurgie. Bd. 1. S. 517. Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Bd. 25. S. 116.

Si nervus ischiaticus persecandus est, incisio cutis duos vel tres digitos longa supra fossam popliteam efficitur in spatio triangulari, quod supra a musculo bicipiti et semitendinoso et semimembranoso formatur, et fascia lata nervusque ut plerumque modo jam indicato persecatur. **Malagodi** felici successu partem magnitudine unius digiti e nervo excidit s). — *Fortasse etiam nervus ischiaticus ipse in urgenti necessitate* praeter communem tendinem bicipitis, semitendinosi et semimembranosi in exteriorem partem versus persecandus esset, si hic incisio usque ad glutaeum maximum perduceretur. Semper in hoc nervo reminiscendum erit, locum rimae s. divisionis in tibiali et peroneo valde variare; imo, nervum tibialem et peroneum interdum e plexu ischiatico separatos eminere, tunc autem nullum ischiaticum existere, sed ejus loco utrumque nervum modo nominatim inveniri — Rami nervi cruralis maximam partem in fascia collocati sunt, minimam vero tantum sub illa. Ubi opus est eos persecare sub illa eo majore cum praecautione hoc instituendum est, quo propius illi trunco adjacent, ne vasa majora inprimis vena saphena magna laedantur. Si denique opus est **truncum nervi cruralis** in osse pubis persecare, aegrotus in-

---

s) Froriep's neue Notizen. Bd. 19. S. 112.

dorso collocatur et aegroto femore a sano separato, femur inferius ejus, quod laborat, supra marginem tabulae dependere facit, quo integumenta magis intenduntur. Tunc incisio incipit semidigitalem infra medium ligamentum **Pouperti** et continuatur tres digitos deorsum et paullulum ad interiorem partem femoris crassi, ubi vero cavendum est, ne vena saphena laedatur. Cute, adipe, aponeurosi, fasciaque lata dissectis, vaginam vasorum invenimus, juxta quam nervus in exteriorem partem versus situs est, qui caute separatur et persecatur.

Quum nervi, si admodum subtiles sunt, accurate in sectione animadvertendi sint, et si majores sunt plerumque juxta vasa jaceant, dissectio subcutanea in illis non admittenda sit.

Curriculum vitae.

Ego, Joannes Petrus Detlef Reichenbach Rendsburgi, Holsatiae septentrionalis oppido, anno *MDCCXCV* a. d. XXVII Cal. Aprilis natus, evangelicae confessioni adscriptus, ibique aetatulae teneritate peracta cum parentibus meis Altonam profectus sum. Postquam hic primis litterarum elementis imbutus eram,

gymnasium Christianeum academicum, adii, in quo a praeceptoribus doctissimis ad linguas tam veteres quam recentiores cognoscendas aliasque litteras, quae ineundis studiis academicis viam pandunt, colendas adductus sum.

Anno *MDCCCXIX* in studiosorum universitatis Christianae Albertinae rectore Joanne Christophore Schreitero Kiloniensis numerum receptus et albo academico inscriptus, ad utramque medicinam assidue incubui.

Praelectiones virorum de re medica doctissimorum, quas per spatium studiorum meorum mihi audire licuit, hae sunt:

Philosophicarum Cel. et Doct. **Reinhold** et **Berger**, mathematicarum Cel. **Reimer**, et linguarum Cel. **Nasser** et **Schulz**, botanices **F. Weber**, historiae naturalis et zoologiae Cel. et Doct. **Wiedemann**, physicarum chemicarumque rerum Cel. et Doct. **Pfaff** praeceptores mihi fuerunt. In anatomia universa tam hominis quam comparata, nec minus in arte cadavera dissecandi Cel. **Fischer** praelectionibus praeceptisque instructus sum. In physiologia et pharmacia Cel. et Doct. **Pfaff** et in pathologica tam universali quam speciali Cel. et. Doct. **Hegewisch** audivi. Materiam medicam et therapiam universalem quoque nec non artem formulas medicas concinnandi Cel. **D. G. H. Weber** et artem obstetriciam Cel. et Doct. **Wiedemann** mihi exposuit. Etiam insti-

tutiones therapiae tam universalis quam specialis Cel. et Doct. **Hegewisch** audivi, nec non chirurgiae universalis praelectiones, ut expositiones Cel. **Fischer**, ejusdemque medicinam forensem. Denique institutionibus clinicis **F. Weber** interfui.

Quadriennio exacto anno *MDCCCXXIII* ad studia mea continuanda Hafniam profectus sum et ibi cursum triennium anatomico-chirurgicum et medico practicum perfeci. Post finem hujus cursus anno *MDCCCXXVI* in Academia medico chirurgica regia examen rigorosum anatomico chirurgicum et practico medicum publice absolvi.

Paulo post examen Hafnia in Sueciam et a Suecia Altonam profectus ibique mox per XVIII annos munere meo functus sum. Hic praecipue praxin medicam et chirurgicam molestam ruris exigo et quamquam tempus me fugit studium meum quantum poteram continuavi et Consors societatis Slesvicensis Holsaticae Lauenburgensis pro natura et arte medica bis scripta parva edidi. Primo anno *MDCCCXL* in

„Pfaff's practische und kritische Mittheilungen aus dem Gebiete der Medicin, Chirurgie und Pharmacie. Neue Folge, 6ter Jahrgang, 11tes und 12tes Heft, S. 97."

„Einige kritische Bemerkungen über das encyclopädische Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften, herausgegeben von den

„Professoren der medicinischen Fakultät zu
„Berlin.“

Tum anno *MDCCCXLI* ibi

„Neue Folge, 7ter Jahrgang, Heft 5 bis 6,
„S. 88:

„Noch ein Paar Worte über den Vorschlag
„des Herrn Dr. und Professor Nagel,
„Stadtphysikus, Ritter vom Dannebrog
„und Hofmedicus hieselbst, bei schweren
„Geburten von zu engem Becken das Bit-
„terwasser nach dem Rathe der Engländer
„in der Schwangerschaft anzuwenden von
„H. Reichenbach, Cand. Chir. in
„Altona.“

Postquam me sic per studium, tentamen, praxem et vitam aequaliter ut medicus, chirurgus et magister artis obstetriciae ostendi, nil spero obfuturum, quominus *Illustris, Celebris et Doctissima Facultas Medica Jenensis* utriusque medicinae honores in me conferat.

Altonae a. d. IV Junii anno MDCCCXLV.

Errata.

Pag. 7,	Lin. 27,	Nap.	l.	Nep.
„ 12,	„ 7,	Neuralogia .	l.	Neurologia.
„ 15,	„ 16,	Rosenthal . .	l.	Fr. Rosenthal.
„ 15,	„ 20,	ipse	l.	J. F. Rosenthal.
„ 33,	„ 14,	speciello . . .	l.	specillo.

Von demselben Herrn Verfasser sind in Commission bei mir erschienen und durch alle Buchhandlungen zu beziehen:

Beweis

aus der jüdischen Religion,

daß

die Juden in den christlichen Staaten

nicht emancipirt werden können,

wenn die Christen nicht dadurch sich ihnen zinsbar und unterthan machen wollen.

1841. Broch. 5 gGr.

Erste Hauptgrundsätze

einer zukünftigen allgemeinen

Philosophie des Wahrnehmbaren,

oder

philosophische Betrachtungen

über

Gott, die Natur und den Menschen.

1842. Broch. 12 gGr.

Georg Blatt.